

cum exercitu Provinciam ingressus, Galliae regnum adortus fuerat. Quæ res ingenti adeo ira, atque indignatione Francisci Regis animum incenderat, ut nihil, quod ad acerrimum hostem oppugnandum, ac proterendum spectaret, prætermisurus videretur. Venetos sæpius adversus Cæsarem sollicitaverat, haud obscura belli præmia pollicitus, modo amplissimi regni vires, ac socios ostentando, modo, ne potentia Cæsaris nimium fiderent, suadendo.

Sed cum eos nuper Cæsari foedere sociatos sibi adungere non posset, & absque illorum ope Mediolanensi imperio potiri difficile admodum fore animadverteret, rem antea per suos nuntios inchoatam denuo cum Suleimano agere coepit, ut præpotentis Principis animum, ac vires in Cæsarem concitaret: quo duo potissimum se consequi posse rebatur; alterum, ut Veneti, qui pacem cum Turcis colerent, ne sibi infensum Suleimanum redderent, atque in se ipsos illius arma lacefferent, a Cæsare juvando abstinerent; alterum, ut, classe ad diripienda Apuliae loca emissâ, Neapolitani regni incolas magno terrore concuteret, atque Caroli conatus ab Infubrum imperio ad tuendum regnum Neapolitanum averteret. Itaque ad Suleimani mentem flectendam licet Joannes Forestus, ordinarius Regis legatus, omne studium, atque operam adhibuisset, attamen quo vehementius elati Principis animum nova benevolentia, atque honoris significatione mulceret, Seraphinum Gozium, Epidauriensem, Byzantium proficisci jussit, qui una cum Foresto nihil, quod ad Suleimani animum Regi conciliandum attineret, prætermisere. Viros, ac potentiam illius mire extollere; peragratas triumphis provincias; devictos populos; remotissimas nationes claudibus afflictas; præferocis, ac victricis gentis impetus vel ad decus augendum, vel ad victoriae spem maturandam certiori eventu niti non posse, quam si ad nimiam Imperatoris potentiam moderandam, & coercendam, quæ jam cunctis pertimescenda immineret, adhiberentur: haud difficile immensis Suleimani viribus futurum, classe Neapolitanum regnum invadere, parum ad vehementiores bellorum impetus sustinendos instructum; populos superbæ dominationis Hispanorum pertæsos, ac rerum novarum cupidos; facili ex Epiro ad

1536

Franciscus
Regis ad-
versus Cæ-
sarem consi-
lia.

Seraphinus
Gozius a
Gallis By-
zantium mis-
sus.

Gallorum
cum Sulei-
mano ad-
versus Cæ-
saris officia.

Hy-